

Pergamena 4

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 4

13-06-1327

Sancia, Dei gratia Ierusalem et Sicilie regina, magistro iurato baiulis iudicibus et universis hominibus civitatis nostre Potentie, fidelibus regiis atque nostris gratiam et bonam voluntatem. Mortuo noviter, sicut domino placuit Rogerio Bariona de Potentia milite, comestabulo civitatis eiusdem, nos laudabilium servitiorum reverendo domino viro nostro et nobis diutius impensorum ac devotionis et fidei merita Francisci de Stampis de Potentia, militis curie vicarie regni iudicis dilecti consiliarii, familiaris et fidelis regii atque nostri, statera considerationis debite appendimus eidem Francisco et Matheo de Stampis filio suo, cuius signa indolis prout fidedignorum testimoniis approbatur perfectionis hominis prestigia asserunt et paterna vestigia eundem imitatore ostendunt, dictum comestabulie officium duximus de speciali gratia et ex certa nostra scientia per alias opportunas nostras licteras concedendum, recepto ab eo solito fidelitatis et de officio ipso exercendo fideliter corporali ad Sancta Dei Evangelia iuramento. Ea propter fidelitatis nostre precipimus quod eidem Francisco ac prenominato Matheo suo genito iuxta predictarum aliarum licterarum nostrarum continentiam et tenorem in omnibus que ad dictum comestabulie officium pertinere noscuntur, ad honorem et fidelitatem regiam atque nostram devote patratis de cetero et efficaciter intendatis. Ita quod huiusmodi comestabulie officium per eosdem valeat fideliter et laudabiliter exerceri vosque possitis inde merito commendari.

Datum Neapoli sub anulo nostro secreto, die tertidecimo iunii, decime indictionis.